DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE CHRONICA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HEPATITIDE CHRONICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS BENT,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOD. EXTRAORD.

Fervens, difficili bile, tumet jecur.

HOR.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1807.

JACOBO BENT, M. D.

PATRI SUO OPTIMO,

HANC DISPUTATIONEM,

DICAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE CHRONICA.

QUONIAM Hepatitis in species duas, acutam et chronicam, ab medicis plerumque divisa fuit, et quoniam, sub hoc cœlo, hæc quam illa, longe frequentior, longeque indagatu difficilior est, chronicam perscrutari, et per omnes latebras suas diligenter investigare, operæ pretium erit ; ideoque ad hoc inceptum, memet jam accingam.

Sciromatis illius, quod in hepate obtinet, in causa est hepatitis chronica, quodque, uti hostis

perfidiosus, passibus tam lentis, impetum suum facit, et doloris tantillum impertit, ut antequam se non bene valere certior factus fuerit, de ægro sæpe jam actum est: morbique præsentis indicia, multo citius medico quam ipsi ægro patebunt; vultu pallido et livido, habitu corporis tumidiore, languore inusitato, hebetudine, et exercitationis impotentia, mutationes infaustas quæ accesserunt manifesto indicantibus.

Inflammationi longæ, æque ac acutæ, jecur obnoxium fuisse, indeque induratum, scriptores Græcos antiquissimos haud latuisse apparet; quoniam a CELSO * certiores facti sumus, jecinoris morbum, qui a Græcis ἡπατικον appellabatur, non solum acutum, sed etiam chronicum fuisse.

Anatomices et physiologiæ, inscientiæ ejus, ratione habita, ab HIPPOCRATE † hic morbus accuratissime delineatus fuit. Hujus symptomata præcipua, causasque eas quæ nunc dierum, morbum frequentissime inducere intelliguntur, ea qua decet concinnitate, quæque ut ab omnibus

---

* Lib. iv. cap. 8. † De Int. Affect. cap. xxix.

etiam hodiernis, sedulo imitaretur digna est, demonstravit.

Celsus morbum animadvertit; et ab Aretæo *, temporis, quo floruit, ratione habita, fusius atque accuratissime tractatus fuit.

Horum veterum, scriptis perscrutatis, apparebit medico, jecinoris inflammationem chronicam, tunc temporis, quam multo recentiore, melius intellectum fuisse. Populi Romani, fortunis jam inclinatis, propter Barbarorum eruptiones, simul cum aliis artibus, medicina in desuetudinem ruebat; neque ab illo seculo donec nuperrime, hujus morbi historiam accuratam, quovis auctore, prolatam habemus.

Hepatis inflammationem, penitus Hoffmannum † latuisse manifestum est; utpote qui, febrem hepaticam, alias hepatitidem, nihil aliud quam febris rheumaticæ speciem, extare, affirmat. In eadem pagina notat, jecinoris substantiam in-

* Lib. i. Morb. Diutur. cap. xiii.

† Duncan's Hoffman, cap. vii.

ternam, quæ propter nervorum defectum, parum sensilitatis possidet, in statu inflammato raro inveniri.

Boerhaavius, et ejus interpres Van Swieten *, hepatitidem notaverunt; sed ab scriptorum antiquiorum libris, potius quam sua ipsorum experientia, et observatione, annotationes eorum forsan mutuantur; utpote quæ ab Hippocrate, Aretæo, et Galeno, excerptis plenæ sunt.

Boerhaavii de hepatitide aphorismus primus, morbum in universum haud bene intellectum fuisse, demonstrat. "Hepar etiam," inquit ille, "haud secus ac alia diversa viscera, "et partes hucusque observatæ, inflammationi "obnoxium est; malum utcunque, raro adesse "suspicatur."

Quadraginta abhinc annis, in lucem prodiit libellus, cui pro titulo est, "Dissertatio de mor-

* Comment. Aphor. 914.

" bi hepatici, adhuc parum cogniti, etsi frequen-
" tissimi, et sub cœlo calido admodum lethalis,
" natura, causa et curatione." Ex quo patet, inflammationis longæ jecinoris symptomatum, ab medicis in universum, etiam recenti illo tempore, quantillum compertum fuit. Inter Angliam et Indiam Orientalem, commeante, hujus libelli auctor, artem chirurgicam, in nave exercuit; cujus inter ab Sanctæ Helenæ insula ad Magnam Britanniam, navigationem, cito post vela inflata, ex sociis navalibus aliquis, catarrho correptus fuit, cui, inflammationis lenis indicia, et hepatis ampliatio insignis, superveniebant. Hæc indicia utcunque, in navitæ miserrimi perniciem, auctoris mentem, cruce usque agitaverunt. Ad tussim, remedia propinavit, sed abdominis intumescentiæ, pro ascite, falso creditæ, mederi tentanti, omnia inauspicato cesserunt.

Haud ita multo post, plurimis aliis similiter affectis, in mentem venit, ascitem nequaquam fuisse, utpote in ægro, undulatio nulla percipi potuerit: quoniam autem inedia pressi, diæta tenui uti cogerentur, scorbuti speciei, malum retulit, remediaque antiscorbutica

e vestigio ingessit. Ægro, qui primus morbum conquestus est, vita jam defuncto, itemque aliis, uno et altero, similiter ad plures migrantibus; auctori fidem fecit, a se iterum de morbi natura erratum fuisse. Tandem, ut huic errori malo, finem imponeret, interremptorum, unius, cadaver incidit; et, mirabile dictu! conspectui suo stupefacto, triplo aut quadruplo, majus quam pro solito, sese obtulit hepar, induratum et per magnam abdominis partem extendens. Reliqua viscera intacta erant, neque morbidam speciem, quævis alia pars sese induerat. Symptomatum rationem ideo, tunc reddere, penes auctorem erat, qui praxi nova et meliore, pro prepostera antegressa, instituta; fructum feliciorem, in ægris sanandis exinde tulit.

Si eadem symptomata, quibus, hos ægros correptos fuisse, scribit, medici hodierni, conspectui acuto, sese obtulissent, ad veram causam, ab illo, ea relatum iri, nullus dubito, utpote morbi naturam tam manifesto indicantia. Ideo apparet, hepatitidem chronicam, vel nunc dierum, frequentius quam olim occurrere, vel morbum melius jam medicis innotuisse.

Ex illo, verisimillimum est, hoc pendeat; propter, seculi proxime præteriti, luxuriam majorem; pene dixerim, irrefrenatam, frequentiores ejus impetus facti fuerunt; nam frequentissimæ ejus causæ, sub hoc cœlo, sunt, pro certo, intemperantia et liquorum spirituosorum usus nimius; quoniam quibus domi, res splendidiores sunt, inter ejus victimas sæpius reperiuntur, utpote qui, sibimet indulgendi facultatem habent; qua facultate abusa, venenum sibi acerrimum comparant.

Quamvis jam bene intelligitur hic morbus, adhuc vero indicia ejus tam obscura sunt, tamque multa symptomata anomala, sæpe simul occurrunt, ut medici hodierni etiam solertissimi, non nisi post cadaverum sectiones, de ejus præsentia, certiores fiebant.

Absens, non infrequenter adesse etiam suspicari possit, quoniam plurima symptomata, quæ in hoc morbo sese ostendunt, in aliis etiam occurrunt; inauspicato utcunque, tractationem valde diversam desiderant.

INFLAMMATIONIS SEDES.

Inflammationem in diversis jecinoris partibus, obtinere posse, sine totius affectione, et diversa symptomata produci secundum partis affectæ situm, nonnullis, inter scriptores antiquissimos, pro vero receptum fuit.

Galenus *, ut opinor, hanc opinionem primus protulit, demonstravitque symptomata diagnostica, quibus sciri posset inflammationis sedes; sic notavit, quod propter jecinoris superficiem convexam inflammatam, dolent pulmones, humerique consentiunt; sed quando parti concavæ insidet inflammatio, ventriculus potius afficitur et subeunt, vomitus, sitis, etc.

Mihi persuasum est, plerosque auctores, hanc Galeni opinionem, suam fecisse; et ex partium

* De Locis Affectis, lib. v. cap. 7.

situ, nihil verisimilius, quam rem ita sese habere, fieri potest.

Sanguis venosus, inflammationi aptus sit, necne, diu inter scriptores medicos, disceptatum fuit.

Hepatis inflammationem, in arteriæ hepaticæ ramis unicis, sedem habere, suspicati sunt plurimi, nec unquam inflammationem subiisse sanguinem venæ portæ. Hanc opinionem rejecit BOERHAAVIUS *, asseruitque et arteriosum et venosum hepatis sanguinem, ex æquo inflammationi aptum esse. Hanc sententiam BOERHAAVII, suam fecit noster MONROEUS senior, cujus experimenta manifesto probant, induci posse inflammationem, quando sanguis arteriosus, ne in jecur influat, cohibetur.

Injectio in arteriam hepaticam ex vena portæ transit, et ex hac communicatione directa inter eas existente, verisimile videtur, quod si quando

* Aphor. BOERHAAVII, 914.

inflammatio in arteria sedem habeat, in vena etiam eam adesse oportet.

Etiam credibile est, quod et sanguis arteriosus et venosus, non solum inflammationi apti sunt, sed etiam hepatis nutritioni, et bilis secretioni, æque inserviunt. Lusus naturæ ABERNETHEO notatus, quo in venam cavam terminabatur vena portæ, hepate omisso, ubique nihilominus secernebatur bilis, huic opinioni favet.

Experimenta MONROENA etiam, in quibus canis arteriam hepaticam deligavit, et post aliquot dies, abdomine aperto, hepar inflammatum et bilem secretam invenit, plane demonstrant, inflammationem obtinuisse, et jecur nutritum esse, sine arteriæ hepaticæ auxilio ; ideoque clare patet, hanc inflammationem, æque ac nutrimentum, ex venæ portæ sanguine, derivata fuisse.

Naturæ operationibus etiam magis consentaneum videtur, vitam, ex re tam incerta, qualis est arteriæ parvæ præsentia, pendere nequaquam permittere ; potius vero apparatum quandam

duplicem instituere, ad munus tam necessarium, tantique momenti, quale est jecinoris nutrimentum, bilisque secretio, fungendum ; ita ut, si læsa aut amissa fuerit, pars altera, satis adhuc ad animalis vitam sustinendam, illæsa remaneat.

SYMPTOMATA.

Hepatitis chronica, per septimanas aliquot, aut etiam menses sæpe adest, priusquam se non bene valere percipit æger. Symptomata prima, quæ ei timorem injiciunt, sunt gravitatis et doloris obtusi in hypochondrio dextro, inter pressuram aucti, sensus.

Haud raro in dextro brachio gravitatis et torporis sensus percipitur *, atque ad summum humeri dolor, ad scapulas et musculos colli, sese extendens : corporis positur æ mutatio, hunc

* Celsus, lib. iv. cap. viii.

exasperat, et nonnunquam situs hæc mutatio, tantum ægro timorem injicit, ac si rheumatismo afficeretur * : hi dolores nequaquam in omni exemplo perpetui sunt.

Ventriculus cito in consensum abit; et ab, illius organi, statu debilitato, symptomata inducta, plerumque accedunt : qualia sunt, appetitus jactura, flatus, cibi fastidium, ructus, indigestio. Tempore matutino, nausea et ægritudine sæpe afficitur æger. Bulimia nonnunquam adest, cui, nisi cum damno et symptomatum exacerbatione, satisfacere nequit.

Vultus pallescit ; aliquando subfuscum aut plumbeum colorem, sese induit. Oculi caligant, et hebetes sunt. Albuginea sæpe flavescit, aliquando subfusca est. Languet æger ; lassitudine generali afficitur ; et ad vitæ munia solita fungenda, omnino ineptus evadit. Mordax et mutus, solitudinem appetit. Periculi imaginarii effugium quærit : quamvis somniculosus, parum

---

* Vide SAUNDERS on the Liver, p. 193.

dormit; somnusque, insomniis diris fere stipatur. Plerumque læditur respiratio, quæque morbo inveterascente, in pejus ruit, simul cum raucedine et sicca tussi comitata. Arescunt atque durescunt gingivæ; lingua albida, sicca, sordidaque jam facta; siccessit cutis et aspiratur; urina parca et ruberrima. Sub initium parum mutatur arteriarum pulsus; postea vero frequens fit, cum exacerbationibus vespertinis demumque supervenit, febris hectica.

Morbo incipiente, tumefactio nulla aut durities percipi potest; sed in stadio ejus provecto, deorsum tendit jecur, et infra costarum margines, induratum factum, tangenti digito, sese manifesto prodit. Ampliatio aliquando et durities tantopere augescunt, ut oculis etiam, æque ac tactu, tumefactio indagari potest: quod in exemplo, in quo, inter cadaveris sectionem, libras octodecem, grave, inventum fuit hepar, Doctori GREGORIO nostro, sese obtulit. Aliquando autem obtinet hujus contraria conditio, hepate multo magis extenuato reperto, quam in statu sano unquam fuisset. A Doctore jam dicto, memoratur exemplum, in quo, uncias vigin-

ti solummodo pependit hepar. Hoc fortasse nisi ubi morbus jam inveteraverit, illiusque partis, quæ malo, jam inutilis facta fuit, obtinuerit absorptio, non occurrit *. Ab initio, plerumque, ex decubitu in sinistrum latus percipitur molestia, quæque in morbi stadio provectiore magis urget: in dorsum, humeris elevatis, paulumque dextrorsum incurvatis, facilius decumbit æger.

Hepatitide laborantium humeri, æque ac phthisicorum, elevantur et gibbosi fiunt.

Aliquando accidit icterus, nequaquam vero symptoma perpetuum est: ex inflammationis sede, fere pendere suspicatur. Alvus, primum, haud raro astricta est; alternis vicibus postea stricta et soluta est; et sæpe quando ad extremum jam ventum est, viscidæ et admodum fœtidæ dejectiones superveniunt.

Hoc tempore, tympanitæ nonnihil adest; atque serius aut citius, plerumque comitem sese

---

* Vide SAUNDERS on the Liver.

addit ascites. In statu indurato hepatis provecto, ex naribus, gingivis, ventriculo, umbilico, simulque cum dejectionibus, in magna copia sanguis aliquando erumpit; quod obstructioni ei in hepate occurrenti debetur *.

TERMINATIONES.

Hujus morbi terminationes vel resolutione, suppuratione, aut schirro superveniunt. Hepatitis acuta, gangræna, nonnunquam terminari fertur †; sed hoc in hepatitide chronica, unquam accidit necne, parum compertum habeo.

Resolutio, omnium terminationum maxime exoptanda, medicamentorum usu, quando morbus recens est, et priusquam sese ostenderit schiroma, frequentius obtineatur. Mihi autem

* Vide Heberden, p. 250.

† Vide Saunders.

persuasum est, hoc in hepatitide chronica, rarissime sponte accidere, uti in aliis magis activis inflammationibus aliquando. Nonnulli equidem credunt, mihique senex medicus, sibi esse in animo enarravit, podagræ impetum, cancrum, aut alicujus alius glandulæ schiroma, eruptionem in faciem aut cutaneam, hepatis morbum chronicum critice solvere posse: me certiorem fecit, se plurima vidisse exempla, quibus, jecinoris morbi, podagra levati erant; et e contrario quibus morbidum factum fuit hepar, podagra ex habitu recedente.

Quam veræ hæ conjecturæ sint, ex praxi sola pendeant necesse est: de podagræ aut cancri causis, multo minus, quam ut, de quibus, hic morborum consensus conficitur, dijudicare possemus, intelligimus.

Si igitur vel ægri aut amicorum ejus negligentia, medici inscientia, vel medicamentorum ineptitudine, resolutio speranda non obtinetur, ad suppurationem aut ad schirrum, lentis sed certis passibus progreditur.

Post adhibita medicamina idonea, ad hoc malum debellandum, resolutionem superventuram, denunciat symptomatum remissio.

In hac, rarius quam in regionibus calidis occurrit *suppuratio*; quando utcunque jam supervenerit, in morbi longa, quam forma acuta, majore periculo stipatur. Quoniam progressus ejus multo lentior est, et ad partes vicinas non tam frequenter, formantur adhæsiones, quibus materiei formatæ exitus facilis aperiri possit: e contrario nonnunquam evenit, quod apostemata diversa formantur, quæ, quando in hepatis partibus interioribus sunt, irrupta manent, donec materies suppurata ex iis, absorpta, et in habitum transmissa, febrem hecticam excitat. Suppurationis prægressæ, frequentissime indicatio prima, febris hectica est; quoniam in hac morbi forma, ea doloris remissio et sensus gravitatis, quæ in morbi forma acuta, circa regionem hepatis, suppuratione occurrente, plerumque accidit, vix perceptibilis est.

Si eveniat ut pars inflammata prope hepatis superficiem sit, ad partem aliquam vicinam,

lymphæ effusione superveniente, hepar connectitur ; quandocunque idcirco, perficitur inflammatio, secundum apostematis sedem, partesque subjacentes, in varios situs, materies erumpat.

Nonnunquam in vesicam fellis viam sibi reperit, unde in intestina transiens, per alvum ejicitur. Aliquando in ventriculum aut duodenum, adhæsionibus formatis, transfertur, et per alvum aut vomitum, excernitur. Aliquando etiam, diaphragmate eroso, in pulmones migrat; extantque exempla quædam, in quibus, post puris expuitionem, convaluit æger ; raro utcunque superveniet talis eventus faustus. Quando nullæ adhæsiones supervenerunt, in abdominis cavum aliquando abscessus irrumpit, citoque lethalis evadit.

Si sedem habeat in hepatis superficiem gibbosam, adhæsione facta, externe spectet, et quamprimum percipitur fluctuatio, operatione chirurgica, facilior reddendus est exitus ejus.

Sub hoc cœlo, multo frequentissima, hepatitidis chronicæ terminationum est *schirrus*.

Hujus jam occurrentis indicia sunt; ægri vultus varius et mutabilis; aliquando flavescit; nonnunquam pallescit, atque haud raro timorem et animi dejectionem exprimit. Æger facile irritatur, ignaviæ et socordiæ amplexibus sese tradit. Plurimum dolent ventriculus et intestina; alimenti satis assumere nequit, et in tantum, læditur chilificationis processus, ut vita nunc temporis vix diutius sustinere potest, et vel propter neutrimenti defectum, diem supremum obit; vel supervenit hydrops, cui facilis victima cedit. Hæc utcunque, nisi in exemplis maxime plorandis, non occurrunt; nam in aliis, in quibus solummodo partialis est schirrus, cessatque ampliari, per plurimos annos, vita sustineri possit.

INTER SECTIONEM CADAVERUM INDICIA.

Post mortem, abdomine aperto, in diversis exemplis, varia observantur phænomena. Ad partes vicinas, adhæsiones aliquando formari re-

periuntur, aliquando non ita. Hepar ipsum, vel universum, vel in quibusdam partibus, admodum ampliatum, ut plurimum solitoque durius invenitur; nonnunquam autem magis extenuatum et durius *, et uti a Doctore PEMBERTONIO notatum fuit, aliquando amplius, multoque mollius. "I have examined two patients," inquit ille, "where the liver was found much "larger than natural, and so soft, that the "fingers passed through it with the greatest "ease. The structure also appeared destroyed, "so that it resembled a bag containing coagu-"lated blood †." Ampliatio sæpe in tantum evasit, ut abdominis partem magnam impleat, deorsum ad partem inferiorem atque sinistram ejus descendens, cætera viscera sæpe opprimens, ita ut actionem suam sanam, plurimum impediat. A MORGAGNIO ‡, narratur exemplum, in quo, lobus sinister, multum induratus et amplificatus, supra ventriculum premebat, ita ut eum

---

* Vide SAUNDERS on the Liver, p. 279.

† Vide PEMBERTON on the Viscera, p. 40.

‡ De Sed. et Caus. Morb. Epist. 36.

circa mediam, angustum redderet: propter quod faciem sese induirat, ventriculi duplicis.

Hepatis facies incisi, structuram ejus plurimum turbatam esse, ostendit, magis fere solidum et compactum est, multoque minus porosum, quam in statu naturali.

Tuberculi in diversis stadiis inveniuntur, quidam duri, alii in suppurationis statu, vel post suppurationem abscessus formantes. Facies externa, fere, magis quam pro solito, albida, vel cinerei coloris, est.

Alia diversa indicia, in diversis casibus, nobis sese offerunt; quorum pleraque, in celeberrimi Morgagnii opusculis, ut in Doctoris Baylii Anatomia Morbida, annotantur.

CAUSÆ.

Hic morbus, multo frequentius in calidis, quam in frigidis regionibus occurrit; et in his,

inter calidas quam frigidas tempestates. De hac re, inter scriptores medicos, lis nulla coorta est; et res facta est, quæ HIPPOCRATI * bene innotuit, ut ab sententia subjecta apparebit: "Oboritur autem potissimum morbus, æstatis tempore; oritur vero ex carnis bubulæ esu, et ebrietate."

Idem ipsum etiam ab ARETÆO notatum fuit.

Quomodo operatur calor, ita ut proclivitatem ad morbum gigneret, difficile est exploratu; sed pro certo intelligimus, eum in systema biliosum, effectum specialem producere; et omnes morbos biliosos, sub cœlis calidis, frequentissimos esse; et sub hoc cœlo, in æstate et autumno, quam in hieme aut vere, longe frequentiores sævire.

Acuta et chronica hepatitis, haud raro, se invicem inducunt. Activam inflammationem subsidentem, excipit, lenta et diu continuata;

* HIPP. de Int. Affect. cap. xxx. de Morbo Hepatico.

hac præsente, illi proclivitas innascitur, qua, excitante causa aliqua applicata, facillime inducitur. Quicquid igitur, hepatitidis acutæ causa fiat, chronicæ viam sternere jure dicatur, et vice versa.

Est quædam idiosyncrasis aut corporis habitus specialis, qui, homines nonnullos quam alios, inflammationi magis obnoxios reddit: quædam etiam propria sunt, quæ hos quam illos, morbis hepaticis, procliviores faciunt: quænam utcunque hæc sint, investigatu difficillimum foret. Temperamento melancholico præditi, hepatitidi longæ maxime proclives esse narrantur; sanguineo vero, inflammationi magis activæ.

Fœminæ, et juniores ante pubertatem, diversis scriptoribus, hoc morbo, in regionibus calidis, omnino immunes esse narrantur. Hujus causa, mihi, satis manifesta videtur; ex diverso vitæ genere, sine dubio, oriatur necesse est. Fœminæ et pueri, quam ætate provecti, multo magis abstemii et temperati sunt, neque inflammationis causis, in universum tam sæpe patent. Si eodem regimine, quod ad cibum et potum ac

homines, uterentur, extra dubium est, quin eos æque ac homines, morbus lacesseret. Sub hoc cœlo inter fœminas, morbus haudquaquam infrequens est: robusto et habitu plethorico præditas, diæta lauta et condimentis, atque liquoribus meracioribus et vino, utentes, hic morbus frequentissime invadit.

Quibus scrophula, aut aliæ affectiones glandulares sunt, hepatis morbis etiam patent. Hinc infantes debiles et infirmi, et pueri tales ante pubertatem, huic malo, nonnihil obnoxii sunt.

Res diu notissima fuit, Europæos, qui in regiones calidas commigrarunt, jecinoris morbis, indigenis, proniores esse; hujus ratio, aliqua ex parte reddi potest, propterea quod, cœlum, non animum neque vitæ genus, mutant, qui transmare currunt. Indiæ Orientalis, indigenæ, oryza præcipue ciboque vegetabili vescuntur: diæta tam tenuis utcunque ventriculo Europæano haudquaquam arridet; pro qua cibi animalis, liquorumque meraciorum tantum, quantum intra lares paternas solebant assumere, perstant.

De diætæ tenuis efficaci in morbis hepaticis occurrendis, testimonium irrefragibile habuimus inter captivos, Calcuttæ, salutarem artem exercente TIPPOO; vix unus hepatitide interrimi notabatur; e contrario plurimi, qui ante incarcerationem suam, hoc malo laboraverant, prius ad sanitatem quam ad libertatem, restituebantur *. Ex oryza et aqua, confecta fuit diæta sua; quæ forsan, etsi haud æque, ac bubula assa et vinum, grata, plurimos eorum, vitæ amicisque, restituit. Inter quædam vitæ munia fungenda, viscerum morbis, præcipue obnoxii redduntur homines; plurimas horas, omni die, corpore incurvato sedere, nonnullis consuetudo est, contentis abdominalibus, in diuturnæ et violentæ compressionis statu remanentibus, quo circuitus idoneus per ea impeditur; et ex hac causa forsan, hepatis obstructiones, et distentiones, sæpe inducuntur.

Huic morbo viam sternere, diu protractæ febres intermittentes et remittentes, repertæ fuerunt. Cranii fractura, inter causas excitantes

* Prælect. GREGOR. audi.

enumerata fuit; nauseam et vomitum sæpe inducit, quibus tanta jecinoris irritatio excitetur, quanta, in proclivibus, inflammationem inducere poterit.

Ab violentia externa ortum habeat.

Inter causas excitantes frequentissimas recensetur frigus; expositura scilicet, ad aërem humidum et frigidum, sub diei calidi finem; aquæ frigidæ potatio, aut in humum decubitus, corpore calefacto.

Hepatis inflammationem, animi pathemata induxisse feruntur: in systema biliosum plurimum valere iracundiam, bene notum est.

In hepate, aut in ductibus hepatico vel cystico, concretiones, irritatione quam inducunt, inflammationi ortum præbeant.

Cutis exanthemata retropulsa, hepatis vitiis excipi existimata sunt.

Hepatitidis chronicæ causa frequentissima et potentissima, et in calidis et regionibus frigidis, adhuc memoranda restat; estque, sine dubio, diætæ lautæ et altæ conditæ, atque liquorum spirituosorum, abusus.

Quo modo operantur hæ res stimulantes, ita ut talem affectum producant, inter scriptores medicos non bene convenit. Modus earum operandi, secundum SANDERIUM, quovis alio forsan veresimilior: suspicatur ille, circuitus sanguinis in hepate excitamentum auctum induci, proximamque congestionem.

Si antiphlogisticis tempestive applicatis, levetur congestio, morbo occurritur; sed si ultra tempus quoddam remanserit congestio, tonum suum vasa distenta amittunt, circuitus sanguinis languidior fit, et lymphæ coagulabilis effusio, in jecinoris substantiam parenchymatosam, obtinet.

RATIO SYMPTOMATUM.

Gravitatis et doloris obtusi in dextro hypochondrio sensus.—Ex hepatis mole aucta, non tantum pendet gravitatis sensus, quantum ex ligamentis quibus sustinetur, ejusdem inflammationis participibus: hinc in iis exemplis, quibus, hepatis partes interiores unicæ, inflammationi præbent sedem, non percipitur. Dolor etiam, qui pressura fere augetur, secundum partem affectam, plus vel minus acutus est. Si partes externæ, et membranæ, quæ partibus internis et mollibus, magis acute sentiunt, afficiuntur, dolor gravius urget quam in exemplis, quibus sedem profundiorem habet inflammatio.

Brachii dextri torpor, et humeri dolor.—Torpor brachii, uti symptoma a Celso memoratur, unde autem oriatur, haud tam manifestum est. Pro humeri dolore, diversæ causæ, diversis auctoribus, prolatæ fuerunt. Ab inflammatione ex

hepate, diaphragmatis et mediastini mediis, ad summum thoracis extendente, eum produci existimaverunt nonnulli; alii ob consensum, qui, per nervos septi transversi, præsertim dextros phrenicos, his partibus intercedit, cum hepate.

Vomitus et aliæ ventriculi affectiones.—Ex variis causis, in hoc morbo, ventriculus affici possit; vel propterea quod inflammationis particeps sit, aut propter jecinoris ampliati, in eum, pressuram, qua impeditur, munus ejus solitum; aut propter bilis secretionem auctam, quæ in ventriculum, duodeni motu inverso, immissa, nauseam, vomitum, et illius organi debilitatem, inducit.

Super latus sinistrum decumbendi difficultas.—Debetur potius, ligamentorum inflammatorum extensioni, quam hepatis auctis moli et gravitati; quoniam adfuisse, haud raro, notatum fuit, quando hujus visceris molis, naturali haud major reperta fuit.

Languor, lassitudo et insensilitas.—Ex consensu quodam inter ventriculum et mentem,

existente, magna ex parte, ortum suum ducunt. Occasiones, sine fine, hujus consensus observandi, pene quotidie nobis sunt.

Præcipue notandus est in hypochondriasi, malis dyspepticis, inducta; ut et in ea mentis conditione, nimiam liquorum inebriantium quantitatem in ventriculum, assumendo, subito impressa.

Tussis et dyspnœa.—Sub morbi initio ex inflammatione in hepatis superficiem gibbosam, sedem habente et ad diaphragma, pleuram aut pulmones ipsos, sese extendente, excitari possunt; vel in stadiis ultimis, ex mole hepatis aucta, in has partes gravius premente.

DIAGNOSIS.

Mala, quæ hepatitidem mentiri possunt, pleuræ et ventriculi inflammationes sunt, colica, rheumatismus, et mala dyspeptica: priores

duæ utcunque, morbi speciem acutam, solummodo mentiantur; nullo modo chronicam.

Colica.—In hujus morbi exemplo graviore, quod ad diagnosin, inter eum et hepatitidem chronicam, parum difficultatis oriri potest. In colica, dolor circa umbilicum præcipuæ urget; abdominis musculi spastice constringuntur, ita ut tuberculorum aut globorum species forment, introrsumque retrahitur umbilicus spinam versus. Hæc symptomata morbum satis indicant. Aliquando vero exempla mitiora occurrunt, in quibus dolor adeo levis et obtusus urget, ut vix percipiatur: torpent intestina; in consensum abit ventriculus, et symptomata, ad morbi de quo agitur, propius accedunt. Si utcunque ad difficultatem majorem in sinistrum latus decumbendi, sedulo attendamus; si dolor in hepatis regione, præcipue ad humerum et claviculam sese extendens, percipiatur; si morbi progressus, causæque quibus æger expositus fuerit, sedulo perpendeantur; nulli medico, inter ægros vel minimum versato, de morbi natura dubitandum erit.

Rheumatismus.—Dolores rheumatici, hepatis regionem invadentes, haud difficulter detegi possunt. Plerumque nec tussi nec dyspnœa comitantur; magis diffunditur dolor, musculorumque cursum sequitur, ab uno ad alterum locum frequenter commigrans, et cum artuum doloribus alternans. Corporis posituræ speciales et motus, quæ præcipue dolorem regunt, in duobus morbis, diversa sunt.

Dyspepsia.—Inter hujus mali et hepatitidis chronicæ symptomata, convenientia talis est, ut in errorem medicos solertissimos induxerit: utpote qui, ventriculi statum dyspepticum, morbi causam statuerunt, malo, eodem tempore, hepar ut sedem occupante. Inter duos morbos, diagnosin veram fieri, maximi momenti est, quoniam in ambobus, indicationes curativæ haudquaquam similes sunt. Doloris sedes imprimis dijudicanda venit; an in hypochondrio dextro, vel in scrobiculo cordis; quando sedem priorem occupat, ab ægro ipso, in ventriculo inesse false suspicatur. Ad hepatis regionem, pressura applicata, in quibusdam exemplis, dolorem in humero et clavicula antea haud

perceptum, excitabit. Hoc vero non perpetuum est; ejus præsentia utcunque, diagnosin plurimum accelerabit. Decubitus in dextro quam sinistro latere facilior, nos etiam multum juvabit. Si febris adest cum pulsu celeri, exacerbationibus vespertinis, et caloris gradu, quam pro solito majore, simul cum aliis hepatitidis chronicæ symptomatis, de natura morbi dubitare non poterimus. Vultus et color faciei, plerumque etiam indicabunt; nam etsi icterus non adsit, sæpe apparet flavedo specialis, hepatis statum morbidum designans.

Calculi biliarii.—Ductus biliosi, calculis biliariis obstructi, gravitatis insolitæ sensum præbent et doloris opprimentis, circa ventriculi regionem, in dextro præcipue latere, simul cum nausea, vomitu, anorexia, et plerumque, etsi non semper, ictero. Segnitiei nonnihil, et ignaviæ obrepunt, et æger, quasi vi insolita, alacritate ad motum, sese orbatum sentit; et, si morbus in longum protrahitur, vires simul cum carne amittit. Hæc eadem symptomata, in hepatis affectione chronica, occurrunt; sed plerumque, morbi historia dignosci possunt, et doloris

ex calculis orientis, quod ad intensitatem, proclivitate ad mutationem.

PROGNOSIS.

Ex duratione ejus, ægri consuetudine prægressa, cœlo, et causis, præcipue pendet hujus morbi, prognosis. Si sub initium accersitur medicus; si morbis prægressis, corpus non debilitatum fuit; si ægri consuetudines bonæ fuerunt, sub hoc cœlo prognosis fausta fere prænuntianda sit. Sed sub cœlis calidis, haud æque fausta erit; ibi locorum enim in suppurationem, morbus transire pronus est; eventus cujus fere semper dubius, vel potius infaustus sit. Frequentissime utcunque accidit ex progressu ejus, in hac regione, lento, quod non prius ad medicum recurretur, quam hostis jam late vastaverit, schirrumque sæpius induxerit. In hujusmodi exemplis, vix fieri potest, quin infausta sit prognosis. Nam propter hepatis functiones

jam plurimum turbatas, propter concoctionem et assimilationem etiam impeditas, universum corpus infirmatur, æger extenuatur, et nunc debilis factus, hydrope forsan corripitur, qui, ex schirro ortus, fere semper lethalis est.

Si utcunque, post remedia idonea applicata, splendescit vultus, dolor mitescit, receditque tumor, ægro interim pleniore et robustiore facto, sanitatem in propinquo esse, prædicere audeamus. E contrario, si post medicamenta adhibita, nihil meliorescunt symptomata, potius vero ingravescunt, simul cum appetitus jactura, corporis extenuatione, prostrationeque virium, febre, pulsu citato, exacerbationibus vespertinis et sudoribus nocturnis, eodem tempore comitantibus, non possumus, quin profiteamur, mortem præ foribus jam adfore. Morbi causarum diversarum, indagatio studiosa, nos ad prædicendum multum juvabit; nam ex morbo, intemperantia inducto, ægro effugium vix promitti potest, dum omnibus aliis quibuscunque causis inducto, sæpius effugiendum sit; ægri habitu, in priore, ad morbi impetum sustinendum et debellandum, minus valente.

CURATIO.

VARIA, et pene innumera ad viscerum schiromata removenda, laudata fuerunt medicamenta; quorum quædam efficacia, plura autem, tam inertia sunt, tamque nulla vi pollent, ut in hoc constare videtur, eorum excellentia summa, scilicet, nocendi impotentia.

Quoniam hepatis status in diversis stadiis et in exemplis morbi variis, tam diversissimi sunt, nulla medendi ratio regularis, probe institui potest.

Unicum autem remedium est, quod in omni pene morbi stadio propinari solitum fuit, et, si famæ ulla fides, cum fructu maximo.

Sunt utcunque qui hydrargyri effectus bonos, in hepatitide chronica, denegant, ut ex literis sequentibus Doctoris DICKEI, Calcutten-

sis, apparet * : "In chronic cases, where there "is no fever, but only an obtuse pain in the "side and shoulder, with a fulness in the side "and about the pit of the stomach, keeping up "a constant uneasiness, mercury seems to me "to have but little good effects : when used "freely it removes the symptoms at the time, "but they generally return as soon as the mer-"cury is left off." Idem utcunque usum ejus in hepatitide acuta plurimum laudat: "In recent "attacks of liver complaints, after early bleed-"ing, blistering, and the free use of laxatives, "I never saw a case where suppuration came on "if mercury was used freely, and continued till "the mouth was sore."

Etsi, summo jure, ad hunc morbum debellandum recte adhibitus hydrargyrus, laudatur, exempla tamen aliquando occurrunt, in quibus, usus ejus, ineptus vel forsan noxius foret, uti in habitu scrophuloso aut phthisico.

---

* Vide SAUNDERS, p. 256.

Si ex parte tantum, et levis hepatis affectio sit, illius partis etsi schirrus formetur, attamen ne latius aut altius sese extendat, regimine refrigerante et cura idonea aliquando cohibeatur; et usque ad senium ægri vita protrahatur.

Diæta.—Pene in omnibus chronicis et diu protractis morbis, ad diætam cur attendatur admodum necessarium fit. Hepatitide laborantis, cibus modice nutriens, nequaquam stimulans, foret; sæpius et singulis vicibus in parva quantitate assumptus; levis etiam et concoctu facilis sit: omnibus oleosis, frixis, crustis conditis, lancibusque dubiis, caute evitatis: omnes liquores spirituosi, cane et angue pejores, fugiantur. Huic contraria praxis in India Orientale obtinere dicitur; ubi locorum diætam stimulantem, cum vini rubri et maderensis, uberiore copia, monent medici. Satis, medendi methodus, ægris cordi sit, parum autem inservire potest, multum quoque noceat. Lac dummodo ventriculo non inimicum est, nec cephalalgiam inducat, diæta optima est, vegetabilibus etiam plerisque vescatur, dum symptomata dyspeptica

non ideo inducantur; multumque inserviunt cujuscunque generis fructus *.

Purgativa,—sub morbi initio præsertim admodum necessaria sunt. Intestina plerumque tarda sunt, quæ non solum catharticorum usu solvuntur, sed genus biliosum etiam emulgetur, initioque obstructionis occurritur. Nunc temporis ex salibus præparata, uti Sulphas Sodæ vel Magnesiæ, Phosphas Sodæ, &c. sub Muriati Hydrargyri vel Jalapio anteponenda sunt. Beneficia ab aquis Cheltenhamiensibus orta, vi suæ purgativæ debentur, et in hoc morbo haud satis decantari possunt.

Sanguinis missio,—non solum supervacanea, sed etiam admodum noxia est: præterquam, in exemplis in quibus, propter alicujus causæ excitantis applicationem, in speciem acutam morbus transiit, quando necessarium remedium fit, quatenus ægri vires tolerabunt.

---

* Vide PEMBERTON de Viscerum Morbis, p. 43.

Emetica,—in hoc morbo, suas laudes habent, propterea quod actione ab illis excitata, per hepar circuitus augeri existimatur; emulgentur vasa, et obstructiones recluduntur; cui causæ etiam attribui solent commoda, quæ ægris ex navigatione derivantur: haud verisimile utcunque apparet, circulationem auctam, et motum violentum, organo jam irritato communicatum, plurimum inservire posse: et debilitas ventriculi, quæ usu emeticorum nimis frequenti, necesse est inducatur, non poterit quin noceat.

Vesicatoria,—his morbis ineuntibus, quibus doloris multum et inflammationis adsunt, et quibus regimine antiphlogistico opus est, remedia potentissima sunt; sed in exemplis, quibus lentis passibus vixque percipiendis, morbus ad acmen progressus facit, hepate jam indurato, parvi momenti, si non omnino applicationes supervacaneæ invenientur.

Tonica, *astringentia*, *et amara*,—etsi in multis ventriculi morbis salutaria, in iis præcipue ebrietate inductis, nequaquam hujus morbi stadio inflammatorio aptantur, ut remedia; et si

inter statum hepatis induratum propinentur, nulli usui permanenti inservient, quamvis, pro tempore, quædam symptomata levent. In morbis biliosis, magna medicorum laude celebratur Leontodon Taraxicum, utpote quod tonicis et eodem tempore dotibus aperientibus gaudet; ususque ejus in hoc morbo, a Doctore PEMBERTONIO, in tractatu ejus eximio, de viscerum affectionibus, valde celebratur. Sic scribit: "I particularly recommend the use of Taraxicum, from which I have seen the most "decided advantage, both in incipient schirrus "of the liver, and also in several chronic derangements of the stomach." Cinchona, colomba, anthemidis nobilis flores, cum fructu usurpentur, morbo ab hepate remoto, ad tonum ventriculi, et systematis energiam restituenda.

Hydrargyrus — remedium supremum est, quod, ut specificum, in hepatitide valere putatur; cuique in omni forma et in omni stadio morbi recursum fuit, etsi, inter auctores, de tempore et modo idoneis ejus administrandi, non bene convenit. Ab ipso morbi initio in

hepatitide acuta applicatus fuit, etsi frequentius usum ejus, sanguinis missio, catharsis, cum universo regimine antiphlogistico, præcedere jubentur. Submuriatem, cuivis alii formæ ejus ut plurimum prætulerunt medici orientales et occidentales. Hoc debetur effectibus felicibus, quos in harum regionum morbis biliosis, producere bene intelligitur; sed cur hæc, quibusvis aliis medicamenti formis præponatur, non satis video; omnes enim ad systema afficiendum propinantur. Unguentum forsan hepatis regioni applicatum, methodus optima est, medicamentum exhibendi; frictio enim, alicui usui, necesse est inserviat.

Inflammationis acutæ in resolutionem terminatio, partium statu sano non excipitur, ut Doctori SAUNDERS apparet, sed transeundi in statum chronicum proclivitas remanet, ideoque præcipue laudat hydrargyri usum, sub hoc tempore.

Quod ad temporis spatium, usui ejus necessarium in morbi exemplis diversis, diversum erit. In affectionibus lenibus, si os afficiatur vel

levissime, ad terminationem faustam producendam, aliquando satis erit. Sed in exemplis gravioribus, unguento tam diu uti opus sit, donec bis, ter aut sæpius, ptialismus inducatur.

Si in habitu scrophuloso, hepatitis chronica occurrit, frequenter nocere potius quam adjuvare inserviet hydrargyrus: ideoque si hujusmodi exempla, purgantibus, aut aliis mediis, cedere sese victa nesciunt, curatio imperfecta tentanda sit; ita ut partem affectam, quantum fieri potest, doloris immunem reddamus, et eo modo, morbi progressum ulteriorem cohibeamus. Hoc ut absolvatur, diæta nutriente, regimine blando, et opii usu, opus erit.

Si pus formari inventum fuit, externeque spectet, exitus ejus, ferro quam primum accelerandus est.

Si in partem aliquam internam irruperit, tractatio erit ratione situs illius partis. Interea temporis autem, ægri vires, diæta nutriente, cinchona, vino et cardiacis sustineantur necesse erit.

Multa alia remedia ad hunc morbum curandum, proposita fuerunt; potestates autem eorum, admodum mediocres sunt, præ horum quæ jam recensuimus; ideoque, hic loci, supervacaneum foret virtutes suas enumerare.

FINIS.